Nobilissimo, clarissimoque viro D.
Constantino Hugenio, Zulichemi Domino
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Itane vacat (clarissime Hugeni) in castris et Virginum meminisse et Antiquitatum? in veneranda simul puellae laudes et decrepitae Romae obsoleta sacra diffundere spatiosissimum ingenium? Jam Annam Ultrajectinam e tenebris in lucem vocas, iam detrita et semesa Latii monumenta. Modo cum Evandri matre Carmenta loqueris, modo huius seculi divam alloqueris, quae quia nil nisi divinum sapit et sentit, hominibus nubere non vult, et deos amasios exspectat. Deberet viro docto nubere, ut mixtis tantae indolis ingeniique seminibus Apollines nobis alios Palladasque gignat. Carmen tuum, quo domicellam illam invitas, ut solem frequentius adspiciat, eius genii est, ut notam marginalem Optimi mereatur. At illa, quam in penum Antiquariam doctissimi Smithii scripsisti, Elegia, uti maioris est operae et laboris, ac argumenti lucubrationis, plus me aliosque erudiit. Mirati fuimus (nec enim solus ista lego) te in castris, ubi nulli stant ordine vates, nec domino monstrat pergula certa librum, ista scripsisse, quae antiquorum nobis ritus, mores, ac sacra propriis nominibus exhibent. Opinor te redeuntem a privatis Smithii discursibus illam elaboravisse. Maiestati Romanae apta verba conquisivisti. Et visus mihi fui inter veteres Quirites sine pallio ambulare, cum legerem psaltas, phialas, nixias, periammata, cymbala, scriniones, lapides, genios, stylos, calices &c. Verum cum mentionem facias ignis aeterni lampadibus contenti in sepulchris, locisque ab humano usu et vita semotis, libet ex te discere caussam istius aeterni ignis. An putas Daemonum id factum cura et studio, ne ignis extingueretur, et ideo sepulchris inscriptum fuisse, DIIS MANIBUS? An credis flammulam istam haesisse in ~~ligno~~ lapide Asbesto sive inextinguibili? aut lino Carpasio, cuius meminit Pausanias? aut filis istiusmodi, ex quibus Plinius vidit contextas mappas, quae in ignem coniectae, non absumebantur? An credis oleum, flammam, fumum fuisse circulum, oleumque in flammam, hanc in fumum, hunc rursum concretum coactumque in oleum transivisse? An credis

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 78
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1029

motu vacui duravisse flammam in sepulcris et subterraneis
locis? Ea enim extincta necesse fuit aërem vicinum refrigerari,
refrigeratum condensari, condensatum minorem occupare locum, cumque
obstructo sepulcro non potuerit subire novus, ^ motum vacui
incubuisse naturae. quod illa cum avertere, flammam
extingui non sivit. An potius placet, flammam istam
non semper arsisse, sed aperto sepulcro et subeunte
aurula ventoque, accensam fuisse materiam igni opportunam?
An probabilius videtur, (quae mea est sententia) ignes istos
durasse et durare potuisse in longum tempus, forte secula
aliquot, ob olei viscositatem, lentorem, vimque resistendi maxi=
mam, non tamen durasse potuisse semper et in aeternum,
verum aliquando deficiente pabulo extinguendos fuisse?
Multa hac de re scripsit Fortunius Licetus Genuensis
in libris suis de Lucernis antiquorum. Forte huius
rei causas propius nobis aperiet D. Smithius, sedulus et
perspicax harum rerum scrutator. Gratulor ego rei
antiquariae, quod te cultorem sui nacta tandem fuerit.
Illam sapientiam, ~~et~~ non audeo dicere insaniam, ego
aliquando insanivi. Iam lampades istas et ollyculas
in quibus arserunt ignes aeterni et vestales trado aliis.
Imperiales maioris facio, quibus oleum emitur et vini
sextarius, quam aeruginosos istos et lividos nummos.
Reperi adhuc istius monetae veteris aliquos in meis
capsulis et plenis arcandarum sacculis, quos Tibi
mitto, ut tui sint. Si Salvium Othonem aureum, non
mitterem, nam qui genuinus est, aliquot millibus
florenorum, apud huius artis candidatos, aestimari
solet. En quo dementia cives Perduxit miseros.
Cum huc veneris, apud D. Wickefortium non Romam
solum, sed et stantes in curribus Imperatores videbis
ingenti serie, sed et Graeciam universam, Philippos,
Alexandros, Seleucos, Ptolemaeos, Lysimachos, pluresque
corniferos Duces, quantivis pretii nummos.
Vale Virorum summe, et me ama.
Nobiliss. Mylium, clarissimumque Hoeufftium, ubi feret
occasio a me salutata. Amstelod. XV Cal. Novemb.
CIƆIƆCXXXIV.

^ apparet,

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 78
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1029

Aen mijn Heer
Mijn Heer Constantinus
Huijgens, Heer van Zuilichem
secretaris van sijn Hoocheijt,
woonende in de houtstraet

Met twee copere
penningen;

port

Hage

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 78
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1029